

tempora post futura ipsum monasterium gaudeat iure pleno tam canonice acquisito et ipsorum fratrum successoribus in futurum impediendi ecclesiam aut turbandi via et occasio auferatur, praesentem paginam inde conscribi et sigillorum nostrorum testimonio fecimus communiri. Testes huius rei sunt Henricus de Aquatico castro canonicus Misnensis, Wilhelmus canonicus regularis ecclesiae sanctae Crucis, dominus Meinherus burcgravius Misnensis, Guntherus de Zlowin, Godefridus de Ouleue, Rudegerus de Criguz, Hogerus de Zcassowe, Tammo de Doblin, Rudolfus advocatus de Ozzek, Henricus Smaltz, Fridericus Schaph, Matheus offic. in Misne, Petrus de Korzebuc, Volwinus de Robatsitz, Fridericus Guntheri filius de Zlowin et alii quam plures. Datum Misne Idus Ianuarii anno incarnationis domini M°. CC°. XXX°. Amen.

Copialb. fol. 18.

No. 398^e. 1231. 8. Juli.

Markgraf Heinrich urkundet, dass ein Vergleich zwischen seinem Liten Luder und dem Kreuzkloster in Betreff streitiger Aecker stattgefunden hat.

H. dei gratia Misnensis et Orientalis marchio omnibus in perpetuum. Cum negotia feliciter inchoata saepius a malignorum hominum suggestionibus calumpniam patiantur, sane eidem timori et periculo obviatur, si eadem et auctenticis scripturis inserta et maiorum testimonio fuerint roborata. Tam praesentibus quam futuris volumus esse notum, quod ecclesia sanctae Crucis apud Misne super quibusdam agris sibi adiunctis cum Ludero nostro Iytone longo tempore litigante coram nostra praesentia tandem eadem lis fuit per arbitrium sic decisa, quod idem L. cum suis heredibus recessit ab omni iuris integritate, quod in eisdem agris videbatur habere, promissis sibi marcis quatuor et solutis, cum quibus sibi bona alia comparabat et de eisdem bonis nostro cellario vel coquinae deserviet sicut ante. Aream vero ad supradictos agros pertinentem saepe dictus L. pacifice et sine omni gravamine cum suis heredibus possidebit. Nos etiam si quid iuris in agris eisdem habuimus, supradictae ecclesiae in remissionem nostrorum contulimus peccatorum. Ut autem haec ordinatio rata permaneat atque firma, praesentem paginam nostri sigilli munimine fecimus communiri. Testes sunt Meinherus burcgravius Misnensis, Erkinbertus burcgravius de Starkenberc, Geuehardus de Zurbeke, Henricus marschalcus, Conradus camerarius frater eius, Henricus de Chorun, Otto de Ilburc, Iohannes de Pac, Volmarus de Messowe, Guntherus de Zlowin, Godefridus de Ovleiue, Godeboldus de Borsnitz, Goteboldus de Zlinitz, Gûthmannus, Matheus offic. et alii plures. Datum Misne anno gratiae M°. CC°. XXXI°. VIII°. Idus Iulii.

Copialb. fol. 14^b.